



I, 16.



I, 16.

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
CHRISTIANVS
SIGISMUNDVS
GEORGIVS

S.S. THEOL. DOCTOR ET PROFESS.
PVBL. ORDINARIVS ALVMNORVM
ELECTORALIVM EPHORVS

INSTITVTVM

IO. GOTTFREDI WACHSMVTH

KEMBERGA SAXONIS

LL. AA. M. ET SS. THEOLOG. C.

HABENDA PVBLICE ORATIONE

A. D. IX. CAL. NOV. A. R. S. CIOIOCLXIV

LEGI LIBERALITATIS THIELEMANNIANAE

SATISFACTVRI

CIVIBVS

COMMENDAT.

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XV. de originibus
Saxonicis IX.*

WITEBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS.



R E C T O R
 A C A D E M I A E V I T T E R B E R G E N S I S
 C H R I S T I A N U S
 S I G I S M U N D U S
 G E O R G I U S
 S. S. T H E O L. D O C T O R E T P R O F E S S.
 P U B L. O R D I N A R I U S A L I A M O R U M
 E L E C T O R A L I U M E P H O R U S
 I N S T I T U T I U M
 I O. G O T T F R I D. W A C H S M U T H
 H A B E N D A P U B L I C E O R A T I O N I S
 L E G I L I B E R A L I T A T I S T H I E M A N N I A N A E
 C I V I T A T I S
 C O M M E N D A T.

Facsimile-Ausgaben Germanischer Facsimile XV. de originibus
 Saxonie IX

W I T T E R B E R G
 P R I N T I N G T O T T O R N I C H S E I D I
 A C A D E M I A E A T T I S



Quantum in antiquitatibus Germanicis AMMIANI MARCELLINI fidei et accuratis narrationibus tribuendum sit, satis quidem inter homines eruditos constat; sed dolendum est, tam laceros et mutilatos eius libros ad nos peruenisse, vt magna pars veteris Germanorum historiae simul cum his, quae ex illis perdita sunt, interciderit. Quum nuper ab amico, qui in studio historiarum praeter alios excellit, interrogati sententiam essemus, quonam potissimum tempore Saxones, Chersonesi prius Cimbricae in continente angustiore accolas, sedes nouas inter Visurgim et Rhenum Batauorum confiniis tenuis cepisse arbitremur, hoc responderamus, coniectura nos quaedam adsequi, exactiorem vero notitiam videri post amissam partem librorum Ammiani non superesse. Reddemus autem hic opinionis nostrae rationem. Scripsit Marcellinus historiam suam, vt quisque ex his, quae supersunt, animaduertet, more plane et lege annalium, vt ordinem temporum vbique sollicite obseruarit. Mirandum vero magnopere est, neminem, quantum nobis constet in hunc diem, suspicatum aliquid esse de ingenti hiatu, quem in libri eius XXIX. capitis v. initio certissimis indiciis deprehendimus. Nam quae ante eum locum narrauerat, incidunt in annum epochae Christianae, qua vulgo vtimur, CCCLXX. omnia; quae autem ibidem sequuntur, vbi interrupta narratio argumen-

to
non

to est, aliqua excidisse, iam anni **CCCLXXIII.** sine accidisse comperimus, si chronologiae calculos recte ponimus. Desunt ergo integri triennii res, quae vnico sane libro scriptor tam diffusus et abundans complecti non potuit, vt, si initium libri **XXIX.** ad indicatum caput vsque superest, sequentia ex libro forte **XXXII.** reliqua cum prioribus coaluerint, et libri deinceps perperam numerari coeperint, perditis ad minimum duobus cum sine vicesimi noni et initio tricesimi secundi, qui esse oportuerit. Multa sunt, quae hanc coniecturam validissime vndique confirmant, quorum pauca tantum hic proponemus. Idem enim Ammianus quum eo loco encomium ducis Theodosii, qui imperatoris cognominis pater fuit, exsequitur, victorias eius Germanicas extollit, quarum tamen in iis, quae ex reliquiis Marcellini supersunt, ne vel verbo quidem mentio fit. At enim, credemusne Ammianum ista bella silentio praeterire potuisse? Vbi autem potius ea narraffe, quam in his, quae perdita fuisse diximus, videbitur? Nimirum **PAVLLVS OROSIVS** (l. VII. c. **XXXII.**) **CASSIODORVS** sub anno **CCCLXXIII.** seu Valentiniano IV. et valente IV. **COSS.**, **IORNANDES** de regn. succes. (p. 117. ed. Vulcanii) aliique sequiores, vt **PROSPER** et **SCRIPTOR HISTORIAE MISCELLAE**, Saxones, quum ad Deusonem vsque, qui vicus munitus e regione Coloniae Agrippinae trans Rhenum fuit, prorupissent, caesos fuisse testantur. Huius vero belli, quod sane levi negotio confici non

non potuit, descriptio in libris Ammiani nusquam
superat. Falluntur enim, qui aliam Saxonum tu-
multuariam excursionem, quam Valentinianus ipse
ante triennium represserat, quamque AMMIANVS
l. xxviii. c. v. narrauerat, huc trahere volunt, in
qua neque ducis Theodosii nec Deufonis ille me-
minit, quod tamen scriptor tam curiosus non ne-
glexisset. Sed praeterquam quod totam partem
Marcelliniani operis, quam continuisse res trium,
quorum diximus, annorum iuste colligimus, desi-
deramus, praefecti etiam aliquot vrbis, quorum
epochas diligentissime alias adnotauit, omissi sunt.
Sed quis neget in isto proelio ad Deufonem a du-
ce Theodosio, patre imperatoris, victos fuisse Sa-
xones, non ex illo altero modo AMMIANI testi-
monio, quod post hiatum illum superesse libro
xxix. vt quidem vulgo praescribitur, c. v. monui-
mus, liquere; sed longe magis etiam ex panegy-
rico, quem Theodosio imperatori LATINVS PA-
CATVS dixit, in quo haec legimus c. v. *Erat iu-
stae compensationis occasio, vt qui de patriae tuae
laudibus pauca dixissem, PATRIS saltem virtutibus
praedicandis prolixius immorarer. Nouam quan-
dam patior ex copia difficultatem. Quid, inquam,
faciam? Quae RHENVS aut VAHALIS vidit, ad-
grediar? Iam se mihi Sarmatica caede sanguineus
Ister obiiciet? Attritam pedestribus proeliis BA-
TAVIAM referam? SAXO consumptus bellis naua-
libus offeretur? Redactum ad PALVDES suas SCO-
TVM loquar?* Quis non hinc optime res a Theo-
dosio

doso duce in Germania et ad Deufonem praefer-
tim gestas discat? Limitem Rheni igitur contra
gentes ad excursionem et Galliae depraedationem
foederatas tuendum acceperat. Quae hae fue-
rint, ipse AMMIANVS l. XXVI. c. IV. clare
docet, et PACATVM optime explicat, vbi eos
tractus narrat et *Pictos, SAXONES que, et SCOTTOS,*
et Attacottos Britannos, Galliae limitem aerumnis ve-
xasse CONTINVIS. Si aerumnae hac eius aetate
erant continuae, quis ab anno epoch. Chr. CCCLXIV.
ad CCCLXXIV., hoc est per decennium, eas du-
rare potuisse, dubitauerit? Fuerint sane Sa-
xones ad Deufonem tunc victi, fuerint a *limite*
Rhenano reiecti, fuerint ad *Vabalim* caesi, fuerint
in *Batauia proeliis pedestribus attriti*, fuerint, *bellis*
navalibus consumti, fuerint cum *Scottis* sociis ad *pa-*
ludes suas, quas *inuias* ipsis tribuit OROSIVS, *reda-*
cti; suas tamen nouas intra Rhenum et Visurgim
sedes quo potius tempore cepisse, et condidisse
Saxoniam in Germania *nouam* videbuntur? Quan-
do iustius isto capiendis sedibus ducto nomine,
quod in speciminibus harum antiquitatum VII.
VIII. IX. X. et XI. fatis considerauimus, inclaruisse
videbuntur? Duo vera circa hanc rem miranda
maximopere, an cum indignatione prope modum
animaduertenda, sunt. Primum illud erit, tot scri-
ptores veteres et recentes in his bellis Germanicis
et ex potissimo iure Saxonis duo Theodosios, pa-
trem ducem et filium imperatorem, pro vno ha-
buisse. Alterum hoc erit, HENRICO VALESIO,
viro

viro summo, et cui eruditione pares omni aevo paucissimos non Gallia modo, sed integra quoque Europa vidit, tametsi Theodosii patris res subtiliter et acutissime ad laudatum AMMIANI locum digesserit, nihil tale in mentem venisse, quale in hac obseruatione, sponte sua nobis oblata, primos nos, tam de hiatus et lacuna librorum AMMIANI, quam de Saxonibus in mediam Germaniam et in terras a Francorum maioribus relictas effusis, indagasse putamus. Nam Franci iam tunc non in Taxandria modo, sed e regione quoque Coloniae Agrippinae ad Deufonem, teste CASSIODORO, vbi *ipsis in finibus Francorum oppressos* Saxones narrat, late omnia fluminum inter ripas inferant, vt pars ibidem stabili sede potita *Ripuariorum* inde nomen traxerit.

Sunt, quibus haec supercilio, quod nouimus, excipere placeat. Nobis leuia non sunt, qui, quantum in historia patriae, tum veteri, quum media, imo et noua, limandum poliendumque restet, et qua cura cuiusque aeui monumenta tractanda sint, omnium minime ignoramus. Scimus, quantum adhuc praesidiorum ad excolendam paullo diligentius historiam Saxoniam post summorum et excellentissimorum virorum industriam conferre liceat. Scribimus haec ea in academia, cui inter medias ruinas vrbis infelicissimae, et calentes adhuc ab expugnatione crudeli cinerum fauillas, post DEI IMMORTALIS benignitatem et misericordiam a sola PRINCIPIS clementia et liberalitate auxili-
lium

lium expectandum sit, ne vixisse existimetur. Non tamen deiicimus animos, sed ad coeleste potius auxilium prospiciendum eos erigimus, et nostris perpetuis aerumnis perferendis CHRISTVM seruatorem et liberatorem generis humani imitari cupimus. Ea mente nostris damnis communes tam infandi belli iacturas tolerare conati sumus, et praecleara instituta publica priuata prouidentia, partim etiam impensa, conseruare studuimus, quibus rerum academicarum per septem atros, non dies, non menses, sed annos, commendata fuit. Hinc est, quod Thielemannianae liberalitatis fons nondum exaruerit, et, qui inde fructum adhuc percepit, IO. GOTTFREDVS WACHSMUTH, Kemberga Saxo, L.L. A. A. M. et Reu. Minist. Cand., legi eius satisfaciendi causa orator publice proditurus verba maiori in auditorio nostro facere possit, a. d. IX. Kal. Nou., de nomine *patrum*, doctoribus scholarum et academiaram ob merita tribuendo, VOS, CIVES non indigetis, si Vos bene nouerimus, alio incitamento, quam recti et honesti cupiditate atque conscientia; quo minus dubitamus, VOS humanitatis VESTRAE voci aurem praebituros, et quam frequentissimos ad audiendum conuenturos. P. P. Vitebergae a. d. XII. Kal. Nou. A. R. S. CIO IO CCLXIV.



T. 2972

ULB Halle
007 441 851


3



40







10

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
CHRISTIANVS
SIGISMVNDVS
GEORGIVS

S.S. THEOL. DOCTOR ET PROFESS.
PVBL. ORDINARIVS ALVMNORVM
ELECTORALIVM EPHORVS

INSTITVTVM
IO. GOTTFREDI WACHSMVTH

KEMBERGA SAXONIS
LL. AA. M. ET SS. THEOLOG. C.
HABENDA PVBLICE ORATIONE
A. D. IX. CAL. NOV. A. R. S. CIOIOCCXLIV

LEGI LIBERALITATIS THIELEMANNIANAE
SATISFACTVRI
CIVIBVS
COMMENDAT.

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae specimen XV. de originibus
Saxonicis IX.*

WITEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.